



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Francisci Svarez Granatensis E Societate Iesv  
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Primarij  
at[que] Emeriti olim Professoris Tractatvs Qvinque, Ad  
Primam Secvndae D. Thomae**

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiae, 1629**

8. Quid sit spes, & quod habeat contrarium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94065)

ad externum sensum, & ideo D. Thomas 1. 2. q. 35. art. 2. ait tristitiam comparari ad dolorem sicut gaudium ad voluptatem: & ar. 7. vocat illam dolorem internum, videaturque *quæst. eadem 35. art. 1. ad 11.* de dolore vero multa dici possunt, quæ Philosophis remitto, & videri possunt in *tractatu de anima. sect. 1.*

**VIII.** Aduertendum secundo est tristitiam à Dama Notatio de diuisione tristitia. Thoma 1. 2. *quæst. 35. articulo sexto*, diuidi in misericordiam, inuidiam, anxietatem, accidiam; potest enim esse tristitia de malo proprio, vel alieno, aut etiam de alieno bono: de proprio enim bono, vt sic, nullus tristatur. Tristitia de alieno malo vocatur misericordia, in qua quis, vt ait D. Thomas, apprehendit malum: vt proprium: tristitia de proprio malo, si cõmunis sit, retinet nomen tristitiæ, & si nimium affligit animam, vocatur anxietas, si vero tanta sit, vt etiam corpori torporem iniiciat, & membrorum vsu impediatur, vocatur accidia, quamuis hoc nomen alias significet peculiare vitium charitati cõtrarium, 2. 2. *quæst. 36.* iam vero tristitia cum non sit de bono, vt bonum est, in quouis illud sit, si bonum alterius, vt malum proprium apprehendatur, tristitiam affert, & illa vocatur generaliter inuidia, quamuis magis proprie tunc censetur inuidia, quando ratio mali ex bono alterius nulla alia apprehenditur, nisi diminutio propriæ excellentiæ, de quo D. Thomas 2. 2. q. 35. vnde intelligitur hos actus magis proprie in voluntate, quam in appetitu sensitiuo reperiri. Quare alia, præter hæc vulgata genera, numerari hic possunt penitentia, zelus, æmulatio, nemesis, quæ Diuus Thomas ad prædictam diuisionem reducit.

**IX.** Tertio aduertendum est causas, effectusque Notatio de causis & effectibus passionum que circa malum versantur. harum passionum, quæ in malo versantur ex effectibus, & causis contrariorum effectum colligi debere, nam per se contrariorum contrariæ sunt causæ, & effectus, quod D. Thomas 1. 2. q. 37. late explicat, vbi tandem concludit nullam passionem magis nocere corpori, quam tristitiam, Prouerb. 17. *Spiritus tristis exsecat ossa*, vnde à Latinis hæc passio vocatur *agryuado*, tametsi cum moderata est, & rationi consentanea, vtilis sit, & necessaria. Isaia 16. *In tribulatione murmuris doctrina tua eis.* 2. ad Corinth. 7. *Tristitia, que secundum Deum est.* Quarto aduertendum est de remediis contræ tristitiam agere D. Thomam 1. 2. q. 38. quæ duplicia esse possunt, alia quæ delectationem excitat, de quibus ipse copiose disserit, alia quæ apprehensionem ipsius mali minuunt, de quibus videre potest Cicero *Tuscul. 9.*

**Notatio 4. de remediis tristitiæ.**

S E C T I O VIII.

Quid sit spes, & quod habeat contrarium.

**I.** Hactenus de passionibus concupiscentiæ disputauimus, sequitur, vt de his quæ irascibili D. Thomas tribuit, disseramus. è quibus spes prima est. Dixerunt vero quidam non esse spem actum appetitus, sed cognitionis iudiciũ, illud nempe quo quis sibi persuadet se posse cõsequi, vel fore, vt consequatur bonum quod amat, tametsi difficile appareat, quæ sententia falsa est, vt in materia de spe *disput. 1. sect. 2. & lib. 2. de grat. cap. 12.* latius contra Lutheranos diximus, qui spem cum fide confundunt: illud quidem iudicium necessarium est ad sperandũ, & ideo quando quis titubando desperat, præcipue quidem

conamur eum in illo iudicio stabilire, quia ab eo spes oritur, non tamen potest in illo formaliter consistere, cum spes tendat in bonum sub ratione boni, quod potentia est appetitiua, nõ cognoscitiua. Dices versari circa bonũ iudicando illud posse obtineri, sed contra, quia non omnino, qui ita iudicat, sperat, potest siquidẽ nullum adhibere conatum ad bonum illud consequendum, & fidelis seruata fide potest desperare. Item vix alias possent in supernaturalibus fides, & spes distingui: tandem timor est in appetitu, ergo & contraria spes: nam sicut ille est de imminente malo, ita spes de bono.

Dico ergo, quæ ex dictis certa colligi possunt. Primo spem esse actum appetitus profrequentis bonum. Secundo bonum illud, esse bonum absens, & arduum, nam quæ aliquis possidet, non sperat, & quæ sine difficultate, & dubitatione obtinenda credimus, moraliter tanquam iam obtenta reputamus. Tertio certum est spem, ab amore, & gaudio distingui, quia amor per se non versatur circa absentia, vt agendo de fruitione diximus. Difficultas ergo superest, quomodo spes à desiderio differat, vterque enim actus in bonum absens tendit. D. Thomas inquit differre, quia spes tendit ad bonum arduum, desiderium autem in bonum absolute, seu carens arduitate: quam obiectorum diuersitatem in appetitu inferiori vult Sanctus Thomas sufficere ad distinguendos non solum actus, sed etiam potentias: in voluntate vero ad distinguendos saltem diuersos actus. Ratio esse potest, quia cõstat desiderium & spem esse actus diuersos, tum quia contingit vehementer desiderare aliquid sine spe obtinendi, tum quia habent contraria distincta, scilicet desperationem boni, & fugam mali: ergo eorum distinctio est ex obiectis, in quibus nulla diuersitas ostendi potest.

Nihilominus Scotus in 3. *distinct. 26.* Gabriel, & alii ibi, Magist. *tractatu 2. moralium capite septimo*, negant hos actus esse distinctos, & spem tribuunt appetitui, vel etiam voluntati, vt rationem habet concupiscibilis. Probat, nam spes est motus in bonum consequendum vt sic: ergo appetitus fertur hoc motu per modum concupiscentiæ, ergo desiderando. Secundo, quia si actus solum differunt sicut desiderium boni ardui, & non ardui, quæ differentia est accidentaliter, sicut desiderare moderatas diuitias quæ facile haberi possunt, vt magnas, quæ difficile comparantur, vt enim obiecta hæc accidentaliter differunt, sic & actus. Tertio bonum arduum non speratur nisi prius ametur, nam, vt D. Thomas ait, passiones irascibiles oriuntur ex concupiscibilibus, vt per se notum est: sed amor boni & amor boni ardui, non distinguuntur: ergo. Dices amorem nunquam versari circa arduum, vt sic, quia fertur simpliciter in bonitatem obiecti, sine ordine ad consecutionem, in qua tota difficultas boni amati consistere potest. Sed hoc in primis non est omnino certum quia nihil videtur obstare, quominus aliquid bonum per se reputetur excellens, superansque conditionem appetentis: sed vt demus illud in amore: in desiderio tamen locum non habet, quia hic actus reuera versatur circa bonum absens, & consecutionem, vt supra dixi, agendo de actu intentionis. Sicut ergo potest quis intendere bonum absens, & arduum, ita desiderare: ergo desiderium versari potest circa bonum arduum vt sic: ergo non differt ab spe. Confirmatur, quia nullus sperat, qui non efficaciter desideret bonum arduum quod sperat, siquidem nullus sperat nisi quod intendit consequi, quod est efficaciter desiderare.

II. Tria certa pronuntia-ta de spe.

D. Thomæ placitum de distinctione spei, & desiderii.

III

re: ergo. Fauet etiam huic sententia axioma illud, Non esse multiplicandos actus sine necessitate, item fauet, quod supra diximus, & latus in libris de Anima, concupiscibilem, & irascibilem non esse distinctas potentias, ac quod agentes de actibus voluntatis statuimus, intentionem & desiderium, & similes actus ad genus idem pertinere.

IV. Dicendum quarto spem differre a desiderio, vel solum accidentaliter: vel solum vt superius ab inferiori, prout desiderij vox variis modis vsurpari potest, interdum enim desiderium, vt supra etiam de actibus voluntatis diximus, quamcumq; appetitionem boni absentis significat, siue illa efficax sit, siue inefficax, & hoc modo differt ab spe, vt quid generalius. Nam spes significat actum efficacem, & absolutum: neq; tamen omne desiderium efficax habet rationem spei, sed illud, quod in re aliquo modo difficili versatur, & hoc modo differt spes a desiderio boni non ardui per se loquendo solum accidentaliter ex materialibus obiectis, vt ex dictis patet, & ex dicendis de audacia laus constabit.

V. Neq; vero probabile est, quod quidam dicunt spem esse passionem quandam necessario resultantem ex persuasionem, & desiderio boni futuri ardui, & obtinendi: primo enim hac persuasionem non est necessaria ad spem, sed est satis existimare posse consequi tale bonum: deinde ex hoc iudicio non necessario sequitur spes, nisi adit desiderium absolutum, & efficax, quo posito non potest exponi quid sit id, quod sequitur, vel quam vim habeat in appetitu. Dices esse veluti erectionem quandam, & extensionem appetitus timori contrariam, & speciem affectum, quo quis confidit se consequitur quod amat. Sed re vera tota hac erectio, quantum ad appetitum spectat, consistit in intentione illa efficaci & absoluta profectandi bonum amatum, non obstante difficultate eius: reliqua vero pertinent manifeste ad persuasionem, & iudicium: nam his duobus positis, nihil aliud necessarium est ad omnia quae in hoc affectu experimur: imo neq; aliud videtur posse concipi. Quocirca quamuis spes sit actus appetitus, connotat tamen iudicium illud quod proprie confidentia nominatur, & quamuis desiderium per se arduum potius, quam gaudium asserat, tamen desiderium cum illa existimatione affert gaudium, & ducit ad operationem, iuxta illud 1. Corinth. 9. debet qui arat sperare: propter hoc etiam dicimus magis nos sperare in alio, quam desiderare, tunc enim speramus in alio quando & desideramus aliquid habere ab illo, & iudicamus fore vt consequamur. Neque contra hoc videtur vrgere in contrarium adducta in num. 2. potest enim aliquis desiderare inefficaciter, seu per velleitatem, desperando, non tamen desiderium efficax potest consistere cum desperatione, de qua quid sit statim dicemus in numer. 7.

VI. Ex dictis primo colligitur, quae sint causae & effectus spei, cum enim hic actus duo requirat, scilicet obiectum excellens, & iudicium de illo obtinendo, omnia quae confirmare possunt hoc iudicium, vel extollere bonum apprehensum, poterunt dici causae spei, quae cum desiderium quoddam sit, fere eandem dispositionem requirit, & eandem motionem cordis efficit, quam alia desideria, & hinc D. Thomas inuenes, quod calore abundant, faciles dicit esse ad sperandum, Secundo soluitur ex dictis dubium, quod Caietanus mouet, quomodo spes possit esse partis sensitivae actus, cum sit de futuris, quae sensu non apprehenduntur. Responderetur enim obiectum spei esse praesens in se, vel in aliquo alio, tamen Suarez in primam secunde D. Thomae

eius consecutio abest, & hoc modo brutum animal videns pabulum praesens, appetit obtinere illud, & si apprehendat vt arduum, etiam conatur illud consequi: saepe vero ex signo, vel ex effectu mouetur brutum ad sperandum aliquid, non quia ex cognitione vnus in apprehensionem rei futuri perueniat: nam hic est discursus: sed ex instinctu naturae, vel consuetudine apprehendit, vt conueniens id quod aliquod commodum allaturum est, quamuis futurum commodum non apprehendat, vt hirundo cum aedificat, sicut tantum habet aedificationem de ipsis rebus, quae sensibus obiciuntur, ita solum appetit, & sperat ea quae veluti ante oculos habet: sub ratione tamen futuri magis in actu exercito, quam signato, vt perficere nidum, deferre paleas, vide Sanctum Thomam 1. 2. quest. 40. art. 3. ad 1. & quest. 42. art. 1. ad 3.

Tertio intelligitur quisnam actus sit desperatio, nam S. Thomas & Caietanus supra articulo 1. 3. Corollar. volunt desperationem esse motum positium contrarium spei, id est, recessum materiale ab illo bono ad quod spes ferebatur: quae sententia sic videtur intelligenda, vt in eo qui desperat, praeter desiderij priuationem, sit quidam motus appetitus, quo proponit quis desistere a profectatione talis boni, quod licet secundum se sit conueniens, tamen in ordine ad acquisitionem eius non existimatur tale, quia consecutio ipsa iudicatur impossibilis, & hoc modo desperatio potest esse fuga appetitus, quia licet recedat a bono, non tamen vt bonum est, sed vt impossibile, vel numquam obtinendum, & sic quandam rationem habet mali: hoc ergo modo est probabilis ista sententia, sicque intelligendus est S. Thomas supra, articulo 4. interdum enim ait obiectum desperationis esse bonum, interdum esse malum, & vtrumque verum est, vt dixi: frequentius tamen dicitur versari circa bonum a quo aliquis quasi difficultate superatus, recedit. Quarto ex dictis constat fere omnes diuisiones dadas de desiderio, & fuga, ac coetera, quae de illis diximus, proportione seruata habere in locum in spe, & desperatione.

VII. Corollar.

SECTIO IX.

Quid sit audacia, & quomodo ad alias passiones comparatur.

Quamuis S. Thomas prius de timore in 1. 2. ad 1. quest. 41. ad 4. 4. postea de audacia in 4. 5. dist. 1. Notatio 1. ruit, tamen cum timor ad fugam pertineat, & pro decisio- ne audaciae contrarius sit, quae persecutio quadam ne questio- est, consequenti methode, prius videtur de audacia, quam de timore discendum: vt autem horum actuum rationes intelligantur, aduertendum est motum profectiuum appetitus per se primo ferri in bonum, interdum vero offerri in aliquod malum, quod oportet vel superare, vel perferre, vt quis intentum vere consequatur. Audacia ergo ad eos actus pertinet, quibus anima huiusmodi malorum pericula appetit, & aggreditur, quod Scotus in 3. dist. 23. notauit, addit vero S. Thomas in quest. 40. audaciam solum excitari in irascibili, qua bonum quod speratur, superato aliquo graui malo, vel tentato aliquo probabili periculo, obrinendum est. In quo est aduertendum secundo, consecutionem boni duplici modo existimari posse arduam, & difficilem: vno modo, quia est bonum ipsum interdum, & media, quibus obrineri debet, per se sunt excellentia & difficilia. & in illis appropinquatur

Notatio 2.